I. I.

DISPUTATIO JURIDICA FEUDALIS

DE FELONIA CUCURBITATIONIS,

Quàm

Conſenſu & Autoritate

MAGNIFICI NOBILISSIMIq; JCTORUM

In Almâ Leucoreâ Ordinis,

PRÆSIDE

VIRO CLARISSIMO AC CONSULTISSIMO

DN. GODOFREDO NICOLAO Schleenſtein/ J.U.D.

Præceptore, Fautore ac Patrono ſuo debito obſervantiæ cultu devenerando

Publicæ disqviſitioni exponebat

ANDREAS Stimming/

Belzig. Saxo. A. & R.

Ad diem 27. Maji MDC LXXVI.

In Auditorio JCtorum horis conſvetis.

Nunc verò ad inſtantiam qvorundam Dnn. Amicorum ſecundâ vice auctior & locupletior edita ab AUTORE.

A. cIↄ Iↄc LXXXIII.

4 1/2.

J.N.D.N.J.C.

SI omnium rerum agendarum nobis sunt capienda à Diis immortalibus primordia, referente Ethnicorum prudentissimo Cicerone, meritò & ego invocatô prius divinô Numine laborem hunc incipio. Dum autem dubitarem de jucundâ qvâdam simulq; utilissimâ materiâ, tandem animo sententia surgebat nullam meliorem tùm ob hodiernam ejus maximam utilitatem, tùm in disputantium Scholis raritatem occurere, *Cucurbitatione*, materiam. Qvid enim hodiè nô dicam in aulâ, sed etiam in caulâ magis (ut ità loqvar) practicatur, qvàm abominandum hoc non solùm in legibus divinis & humanis severissimè prohibitum, sed etiam ipsâ naturâ probrosum vitium? ut taceam gentes moratiores, qvæ tàm ab hâc commixtione abhorruerunt inordinariâ, ut etiam gravissimis pœnis, gladio interdum, nonnunqvam ignicremio hoc execratæ sint flagitium. *Vid. prolixè differentem Petr. Gregor. Tholos. Synt. Jur. Lib. 36. c. 6. à n. 21. usq; ad fin.* Et licet fuerint gentes, penes qvas concessa hæc videtur coitio, sicuti de incolis Insulæ Calecut refertur, qvi non prius Sponsam virginem qvàm à Sacerdotibus ad id mercede conductis vitiatam, in sponsi deducunt thalamum. *Cluver. Introd. Geogr. lib. V. c. 9. §. 4. Lit. ab. p. m. 537.* adde Harsdörffer. *Relat. Juc 159. n. 7.* licet, inqvam, fuerint, non tamen exinde procedit, qvod hoc naturâ volente fiat; sicuti etiam furta sunt ipsâ naturâ turpia, *l. 42. ff. de V. S.* & tamen inventæ gentes, qvibus furtum pro arte erat, uti refertur de Lacedæmoniis & Ægyptiis. Cùm autem una vel altera hirundo non faciat Ver, sic hæ qvoqve gentes non evertunt naturæ præcepta, nam qvia hæc mutatione carent *§. pen. Inst. de J. N. G. & C.* sic & perpetuæ erunt veritatis, & ab his mutata dici neqveunt, nihil ergò decedit ob recessum relatarum gentium universalitati huic, uti etiam unus vel duo delinqventes

non evertunt legem. Si verum hoc; qvis iniqvam & non potius cum jure naturæ convenientem judicabit Juris feudalis dispositionem, utpote propter hoc Vasallum Feudo exuentem. Cùm autem ante omnia qvid illud sit, de qvo disputatur, explanari debeat, rei verò essentia nullâ aptiori viâ, qvàm definitione explicari possit, qvare hisce morem gerens sisto hic

MEMBRUM I.

continens

Definitionem tùm Nominalem tùm Realem & Divisionem hujus materiæ, qvibus additur varia Adulterii pœna, & ejus origo.

I.

ANteqvam vero definitionem accedam ipsam, aliqvid de *Cucurbitationis* origine præmittendum puto. Vocabulum igitur hoc non esse latinum, nec unqvam à JCtis receptum, sed ab his solummodò Dd. qvi, qvas vocant, *Feudorum consvetudines* à Langobardis originem petentes, scriptis mandârunt, originem sibi vindicare, unicuiq;, ut puto, mediocriter in jure Feudali versato, satis notum erit. Licet a. Latinum non sit, non pudet tamen (*inqviente Dn. Struv. S. J. F. c. 15. th. 8. ex Ant. Matthæo*) uti Cucurbitationis verbo, timendum enim est, ne, dum nimis affectamus latinitatem, pro perspicuis obscura verba usurpâsse videamur. Hanc autem derivant qvidam à verbo Latino *Cuculus*, ex seqventibus rationibus (1.) sicuti hic est avis admodum incuriosa sui generis, ità & maritum delineant talem, qvod matrimonii sui incuriosus; uxoremq; suam mœchis permittat. (2) Qvemadmodum hæc avis in alienum nidum maximè Hypolaidis, qvam ipsi Curucam vocant, ova sua transferre dicitur, sic & hic patitur alium ova in suum nidum congerere. Sed admodum inconcinnè & incongruè, hâc enim ratione non *Cuculitare*, uti ipsi volunt, verùm *Curucare*, esset dicendum;699 prætereà etiam Cuculus in alienum, hic vero alii in mariti nidum congerunt ova. *Vid. Alciat. Parerg. lib. 7. c. 5.*

2. Deducitur itaq; à barbarâ voce *Corbita*, qvod Longobardis *in genere* idem erat ac stuprum vel infamia. *Reusn. Disp. Feud. IX. th. 31.* *in specie* vero tantùm ad Jus applicatur Consvetudinarium s. Feu-

dale

dale, si Vasallus Dominum suum stuprum inferendo ejus mori & cœteris personis 1.F.5. relatis injuriâ vel maculâ afficit. Non igitur à verbo *Cucurbita* ortum petit, uti qvibusdam videtur, hâc autem aliàs utuntur Chirurgi seu Medici ad sangvinem levi scarificatione educendum, & harum præcipuus est usus, si non in toto corpore, sed in parte aliqvâ maximè in ventriculo vitium hæret. Licet enim hoc nomen non multùm ab hâc nostrâ abludat materiâ, nam duplex aliàs scribitur Cucurbitarum genus, Corneum aliud, aliud Æneum, qvorum hoc alterâ patet, alterâ vero clausum est parte (Germ. ein Baderkopff/) illud alterâ parte æqve patens, alterâ foramen habet exiguum; non tamen hic opus in Latium excurrere, cùm nativæ vocis è patriâ ἔτυμον peti possit. *Dn. Struv. d l.* Fateor eqvidem & de facili concedo Longobardos originem hujus verbi potuisse ex hoc latino maximè propter convenientiam aliqvalem petere, uti enim corneum Cucurbitarum genus usurpatur tunc, ubi vitium intrinsecè corpori inhæret, & sic ingerendo in corpus vel ventriculum illud extrahunt, ità benè possim dicere, qvod Cucurbitare Latinis idem sit, ac in Ventrem aliqvid ingerere, sed aliqvantò remotior derivatio. *vid. Calepin. in Lexic. verb. Cucurbita.*

3. Hæc de abstracto dixisse sufficiant, examinabimus paucis etiam Concretum seu subjectum illud, cui hæc infertur Cucurbitatio, sive injuria, illudq; est maritus uxoris, sive Dominus, *per text. 1. F.5. §. Item si fidelis.* dico autem *injuria*, non qvasi adulter habeat animum injuriandi maritum directè, sed qvia indirectè & per conseqventiam afficitur injuriâ. *Eckhold. disp. π. ad L. Jul. de adult. § 6.* Nam qvi vult adulterare uxorem, prius adulteret ejus maritum, non tamen hoc propriè est intelligendum, sed impropriè pro conversatione familiari cum viro, hæc enim præstat introductionem ad ejus uxorem. *Nevizan. tr. Sylv. Nupt. lib. 4. n. 85. in f.* si igitur hoc, non veniet tanqvam injurians, sed tanqvam amicus: verùm caveat sibi maritus ab hoc familiari, ne recipiat inimicum in familiarem, & nutriat murem in perâ, serpentem in gremio, & ignem in sinu. *c. Et si Judæos 13. x. de Judæis.*

4. Verùm regerat qvis, qvalem ex hâc conversatione incurret Dominus injuriam, potius à procis honore qvàm contumeliâ afficitur? Ad hoc Resp. Si nullam incurrat aliam, (qvæ tamen videtur

 mini-

minima) injuriam, qvàm qvod ab imperito multis gravetur titulis, maxima ipsi esset injuria, nam talis (1) Nominatur *Cucurbita*, qvi est Vir uxoris adulterio infamatus *Reusn. d. l. & Herm. Vultej. de Feud. lib. 1. c. 9. th. 31. veluti Rbetius in Comm. ad text. 1 F. 5.* cujus uxor stuprum perpessa est. Dicitur (2) *Cornutus seu Corniger*, qvia subsessorem patitur sui matrimonii. *Rittersh. part Feud. l. 2. c. 5. q. 92 in med.* Hinc etiam *Phil.* von Sittwald *Vision.* des Todten Heers canit:

Conjugis ob furtiva negotia cur ego plector?
Corniger à populo prætereunte vocor,
Et digitis monstror, nam qvæ non fecimus ipsi,
Sed vos (nescio qvi) vix ea nostra puto.

Es ist kein Hahnrey/Er habe denn Gedult dabey.

ratio forsan est, qvod, sicuti de Hircis cornigeris scribitur, qvod zelotypiâ non afficiantur, hi qvoqve patienti ferant animo substitutum sibi ab uxore, juxtà rythmum: Es ist kein Hahnrey/Er habe denn Gedult dabey. Aliam dat *Alciat. d. l.* qvod eos uxores tanqvam hircosos aversentur, ob nimiam fortè salacitatem, ob qvam etiam hi nostri dicuntur, (3) *Eruca*, Eruca enim herba est promovens venerem, juxtà id Poëtæ: *Excitat in Venerem tardos Erùca maritos*; & ob hanc aversationem alium hoc vitio non laborantem substituant marito mulieres. Sed prior placet, non enim hæc semper vel raro locum sibi vindicabit, verum enim id *Salomonis: Prov. 30. v. 16. Mulierem esse insatiabilem*, si hoc, qvare fugiat ob salacitatem maritum. Eleganter autem hos describit Cornutos *Ulp. L. 2. §. 3. π. ad L. Jul. de adult.* qvod sit talis, qvi patitur uxorem suam delinqvere, matrimoniumq; suum contemnit, qviq; contaminationi non indignatur. Salutatur (4) *Bonus Vir*, non qvidem in sensu proprio & Philosophico, pro tali, cui omnes insunt virtutes & actiones virtuosæ, ut temperantia, Justitia &c. sed sensu maximè abusivo & improprio, pro eo, qvi ob uxoris suæ lasciviam malè audit. Hinc etiam dicit *Neviz. d. tr. l. 4. n 76. & Eckbold. ad π. tit. de Injur. § 3.* qvod maritus ob hæc verba possit alternm injuriarum actione convenire, qvasi dixerit, se habere uxorem adulteram; imò dico, non tantùm maritus, sed hoc cessante ejus uxor poterit agere, non enim hæc injuria tangit solùm maritum, sed etiam uxorem, si enim ille Bonus Vir, hæc adultera erit.

5. A græ

5. A græcis salutatur (5) Ἀεργὸς, i.e. ignavus, iners, qvod ex α. privativo, & ἔργον opus, qvi est sine opere, Vir sine negotiis, incuriosus & segnis. qvia qvi hoc flagitium in maritum patrare audet, habet eum pro homine inerte, cui pro capite sit cucurbita, & loco cordis pepo, item: qvi dignus est, qvod Cucurbitas pingat. *Rittersh. d. l. ex Tertull. lib. 4. adv. Marc. c. 40.* Ob hanc etiam ignaviam maximam incurrere maritum in Catolonia ignominiam, hunc enim etiamsi sit ignorans, solvere teneri fisco 40. solidos, & Parisiis duci per vicos ab uxore retrogradum super asinum, præcone clamante: Qvi sic faciet, sic accipiet, refert *Neviz. d. l 4. n 85.*

6. A Germanis audit hic, (6) Ein Hahnrey / Harsdörffer *d. l.* qvod non, uti puto, derivatur à Hahn & Rehe / nulla enim analogiæ ratio; sed à Hahn & Reye / qvia talis maritus in seriem Gallorum est deductus; sicuti enim gallus præsertim gallinaceus multis gaudet gallinis, non tamen tàm felix est, ut solus iis utatur, ità & noster, licet propriam habeat uxorem, non tamen tantæ est felicitatis, ut solus fruatur universo jure, qvo alii in uxoribus gaudent. *arg. l 62. de R. J.* Vocatur (7.) Ein Actæons-Bruder / qvod vocabulum ortum sine dubio traxit à notissimâ illâ Actæonis fabula, qvi mutatus in Cervum cornigerum à Dianâ. Tandem (8) venit nomine Herr Schwager / forsan ob rationem, qvod ipse nesciens suos affines, omnes prætereuntes debeat, salutare affines.

7. Sed liceat mihi pace superiorum afferre qvæstionem illam, qvare nempe maritus veniat gravatus Cornubus, & exinde etiam Cornutus, uti dictum audiat? Variæ hic propter risu dignam & mirabilem qvæstionem à variis adducuntur decisiones, *Neviz. d. l. 4. n. 92.* ex cujusdam Poëtæ carmine hanc dat rationem:

Ne foret absq; armis cornua Nupta dedit.

addens: *Credere quid dubitas? experto crede Ruperto*

Cornibus ipse carens cornua multa dedi.

Qvò videntur facere, qvæ *part 7. Jucund Relat. 159. § 9. de Vernaculâ nostrâ meritissimus* Harsdörffer *de Cornubus* affert, cornua sc. potestatem significare, qvod tamen κατ' ἀντίφρασιν intelligendum arbitratur, cùm talis maritus potius simulachrum potestatis maritalis, qvàm potestatem habeat; & facit, qvod qvamvis maritus ipse forum

rum violaverit, uxor tamen apud nos non dicatur cornua gerere. Aliam profert *Philand.* von Sittwald *in Visionibus, Vis.* des Todten Heers/ideò maritis cornua competere, *quia caput est*, dum inqvit:

Si qvando sacra jura fori violaverit uxor,
Cur gerit immeritus cornua vir?

Resp. *qvia caput est.*

8. Evolutâ nominis definitione, pergendum ad ipsam Realem; Describimus autem Cucurbitationem, qvod sit Felonia qvædam in committendo, indirecta, qvâ Vasallus adulterando Domini sui uxorem, aut pudicitiam ejus attentando, item conjunctas personas in jure FF. & à Dd. passim relatas stuprando, Seniorem suum gravi injuriâ afficit, indeq; Feudum amittit, *per text. 1. F. 5. d. vers. item si fidelis. junct. 2. F. 24. § Rursus. ibiq; Dd.*

9. Generis loco ponitur *Felonia*, hoc vero qvale sit verbum, non nisi ex jure feudali constat. Descendit a. juxta veriorem opinionem ex vocabulo Longobardico Fehlen vel Feelen/qvod scribebatur etiam per ac faelen/ita tamen ut illud significaret *errare*, hoc verò idem esset ac perfidia, inde etiam id Germanorũ: Einen aufm faelen Pferde befinden / deprehendere aliqvem in fallaciâ, fraude & perfidiâ, & sic Longobardi natione Germani hoc vocabulum derivarunt à dictâ voce faelen/qvod terminatione latinum, derivatione verò Germanicum. *Dn. Struv. S. J. F. c. 15. a 8 n. 1. dixi in definitione*, & hæc vox in genere competit delictis, qvibus Vasallus Feudum perdit, qvod autem Cucurbitatio sit *Felonia*, id ex dictis constat, & probatur, qvia Vasallus contrà fidem datam faciens, fit perfidus.

10. Differentiam absolvunt reliqva, & qv. dicitur (1) *in committendo.* Omnis enim felonia vel est in committendo, vel in omittendo. Hæc non est, qvia in hâc reqviritur omissio illius, qvod ratione Vasallagii Vasallus præstare tenetur; uti sunt omissio servitiorum *per text. 2. F. 55. § firmiter.* omissio denunciationis contra Dominum conspirationis, *ver. Præterea si Vasallus &c. 2. F. 24.* & id genus alia. Ergo erit talis in committendo: Hæc verò fit vel in Dominum, vel in rem, vel in extraneum, de duobus posterioribus nostra non participiat, qvare erit in Dominum; si igitur hæc, aut directè tendit ad Dominum, aut obliqvè & per conseqventiam: Illa huc non spectat, qvia tùm commissa dicitur, si in Domini personam

nam

nam immediatè peccet, v. g. cum in proelio deserendo; hic verò interveniente uxore injuria tendit ad Dominum, erit itaq; Felonia in committendo in Dominum in directe commissa. Dum enim Vasallus polluit torumDomini, citrà dubium involat in jura Domini, eumq; juxta suprà allata malè audire, qvò minus ipse honestè possit stare in judicio Parium Curtis, Dominoq; servitia præstare, *Rittersh. d. l. 2. c. 5. q. 92.* Dixi porrò, qvâ Vasallus &c. & hoc modo separatur ab omnibus aliis delictis in Dominum commissis, de qvibus §. 1. *Membr. 2.* separatum agendum. Dicitur alias (1) Adulterium *per text. 1. F. 5. v. Item si fidelis junct. 1. F. 17. ibi: adulterârint.* (2) Concubitus vel saltem attentatio ad concubitum *d. §. Item si fidelis 1. F. 5. & 1. F. 21. inf. ibi: si concubuerit.* (3) Immixtio Vasalli cum Domini vel Dominæ filiâ &c. *per. text. 2. F. 24. §. 2. vers. Rursus.*

11. Dividitur Cucurbitatio in Consummatam & Inchoatam: Illa est, qvando Vasallus cum uxore Domini vel cum ejus filiâ, aut sorore &c. opus hoc venereum ad finem perduxit, *per text. 2 F. 24. §. Rursus. & 1. F. 5. §. item si fidelis ibid. cucurbitaverit* &c. Inchoata v. est, qvando Vasallus concumbere cum uxore Domini se exercuit, aut cum eâ turpiter luserit, ad effectum v. sceleris, non pervenit. *d. §. Item si fidelis 1. F. 5.*

12. Causa efficiens ratione introductionis est *Jus Feudale* à Longobardis & Francis Italiam Galliamq; occupantibus introductum *Dn. Struv. S. J. F. c. 1. a. 3. n. 3.* qvod postea instar Rhapsodiæ à qvodam privato conscriptum; qvod aliàs vocatur Consvetudo Feudorum *2. F. 2. §. f. it.* Mores Curiarum, *2. F. 1. pr.* Usus etiam Regni (sc. Longobardici) *1. F. 15. §. 1. Vid. Schneb. Disp. Feud. 1. th. 4*

§. 13. Subjectum qvod, seu activum, constituit *Vasallus* hoc perpetrans flagitum, *1. F. 17. & 1. F. 21. §. f.* Nihil autem refert, qvis sit Vasallus, superior ne an inferior Domino; Liber an v. Servus *per text. 2. F. 3. Vultej. de Feud. c. 4. n. 7.* Subjectum verò in qvod seu materia circa qvam sunt *personæ*, partim *Immediatæ*, partim *Mediata*; hæc ast Dominus, cui dicitur inferri hæc Cucurbitatio *per text. 1. F. 5. d. § Item si fidelis & 2. F. 57. & ibi F. F.* Personæ immediatæ sunt, in qvas crimen hoc committitur, uti sunt: 1. Uxo. Domini *per text. 1. F. 17. 1. F. 5.* sive sit justa sive injusta, *per l. 13. §. 1. ff. de adult:* imò talis, qvæ vulgaris est. *Dd. ad text. 1. F. 5. arg. d.*

l. 13. §. 2. *d t.* (2) Sponsa ipsius, nam neq; spes matrimonii violanda, *d. l.* 13. §. 3. *eod.* (3) Soror in domo manens Domini, & adhuc in capillo *per text.* 2. *F.* 24. §. *Porro.* (4) Filia, (5) Neptis ex filio. (6) Mater. (7) Nurus. (8) Vidua, & (9) Concubina Domini, *1. F. vers. Item si fidelis*, &c. ibiq; Dd. de qvibus infra.

14. Forma & finis consistunt *in modo lædendi*, nimirum in violatione fidei & tori Domini; In eo namq; ab aliis distingvitur criminibus. Dum enim hic fidem frangit in Investiturâ Domino datam, graviterq; contra tertium formæ fidelitatis impingit præscriptum, 2. *F.* 6. gravissimam infert Seniori injuriam.

15. Et hæc de Definitione: Jam esset pergendum ad personas, cum qvibus coiens Vasallus, pœnam incurreret feudalem; Cùm v. seqventi capite de his me in speciè dicturum constituerim, placet nunc paucis qvædam de adulterii pœnarum origine in medium afferre, ut de justitia dispositionis Juris Feudalis eò melius constare possit. Hanc v. non repeto cum Pyrrhoniis & Cyrenaicis ex LL. opinione vel statuto hominum, qvorum illi, τὸ δίκαιον εἶναι καὶ τὸ αἰσχρὸν οὐ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ? hi verò: μηδὲν εἶναι φύσει δίκαιον ἢ καλὸν ἢ αἰσχρὸν, ἀλλὰ νόμῳ καὶ ἔθει, inqviunt, Horum enim opinionem tanqvam erroneam ipse Ethnicorum sapientissimus Cicero rejecit & contra eos disputavit lib. 1. de LL. *Vid. Wissemb. ad* 42. *de V. S.*

16. Fundamentum igitur peto ex ipso Jure Naturæ, dum enim hoc prohibet malum §. 3. *Inst. de J. & J.* simul etiam præcipit & vult, pnniri transgressorem; Cui adstipulatur Deus T. O. M. qvi in libro Decalogi expressè dicit: *Non mœchaberis.* Certum est, Decalogi præcepta non ideo esse justa, qvia præcepta; Sed ideò præcepta, qvia justa; Si igitur qvis transgrediatur hanc legem, determinavit summus LLator *Levit.* 20. *v.* 10. pœnam capitalem, *stuprum*, inqviens, qvi infert alterius uxori, morte moriatur & adulter & adultera. Ex qvo videmus, Deum non tantùm jussisse, & qvæ conveniunt naturæ; Sed etiam velle, ut gravissimis pœnis proseqvamur mala *Licet autem* (inqvit *Schneidw. ad Tit. Inst. de Nupt. p.* 5. *de Repud. n.* 62.) *lex mosaica judicialis ad nos non pertineat, tamen exemplum legis Mosaicæ munit Conscientias, qvia ex testimonio legis divinæ certi sunt judices, se non facere contra voluntatem Dei.*

Qvam-

Qvamvis igitur alii dicant, pœnam non tàm præcipi à Jure Naturæ, qvàm permitti; Non tamen congruit cum ipsâ rei veritate. Qvis enim non intelligit, eo ipso, dum aliqvid prohibet, etiam tacitè velle & præcipere J. N. ut hoc delictum contra legem præscriptam commissum qvoq; puniatur. *Facit mecum JCtus Saxon. Magnif. noster Ordin: Dn. D. Zieglerus in Comment. celeberr. ad Hug. Grot. l. 2. c. 20. §. 22.*

§. 17. Cùm autem J. N. taceat, qvalis esse debeat, adulterii pœna, capitalisnè an verò pecuniaria, exhinc videmus, naturam Llatoribus humanis hanc reservasse determinationem, qvi etiam pro diversitate loci, morum & delicti diversas statuerunt pœnas; & nullus ferè unqvam adinventus populus, cui hoc delictum non pœna dignum visum sit. Sic legimus de Locrensium Llatore Seleuco, qvi sancivit, ut adulteris uterq; oculus erueretur. Qvam etiam statuere voluit pœnam in proprium filium transgressorem, victus verò populi precibus, suo prius, deinde filii oculo eruto, legi latæ satisfecit. *Val. Max. Lib. 6. c. 5.* Sic in Regno Neapolitano sancitum legimus, qvod Vir hoc casu mulieri adulteræ nasum præcidere potuerit, qvod si facere noluerit, mulier publicè fustigata sit. *Franc. Vip. tr. Cõm. opin. Lib. 2. verb. Adulteri. n. 4.* Sic & Imperator Aurelianus stupratorem hospitis suæ duabus arboribus alligatum discerpsit. *Vid. Saxon. in Chron. Cæsar. p. 179. & Joach. à Beust. tr. de Matr. p. 2. c. 18.*

18. Hinc etiam liberum erat in J. Civ. pœnam præscribere, qvalem existimabant convenire cum delicto, non enim æqviparatur delictum & persona, sed delictum & pœna, ut qvantum sit delictum, tantum qvoq; juxta naturam justitiæ commutativæ æstimetur pœna. *Vid: Eckhold: ad tit: π. de J. & J. n. 12. & Dn. Struv: S. J. C. Ex. 1. 6. 31.* Sic de Jure XII. Tabb: legimus antiqvorum Romanorum de adulterio legem, qvâ statuitur: Si qvà *mulier temetum bibisset, cumvè alieno viro probri qvid fecisset, ut in eam maritus ipsius causâ cum propinqvis mulieris cognitâ, pœnam statueret,*)qvæ erat interdum capitalis. *Plin: lib: 14. c. 13.*) *ast si eam in adulterio deprebendisset, tùm eam occidendi jus baberet, Vid: Balduin: Com: ad LL. XII. Tabb: c. 15. & 16. p: m: 17. seqq: & Rittersh: ad LL. XII. Tabb; c. 7. p. 17. 89. seqq.*

§.19. Verum cum hæc lex nimis rigida esset ratione præsertim hinc ei consvetudine inumbratæ successit lex julia de Adulteriis, à D. temeti, Augusto confirmata *L. 1. π. ad L. Jul: de adult:* qvæ pœnam aliqvanto mitiorem præscripsit adulteris, Relegationem nempè, *per l. 5. π. de Qvæst: Cujac: 6. Obs: 11. Tac. lege. 2. Annal: c. 50. Vid: Wissemb: ad tit: π. de adult.* Sed cum hæc lex videretur in insufficiens, qvare crescentibus indies delictis, exasperabantur qvoq; pœnæ Constantinus enim. M. ad similitudinem legis dinæ gladii confirmavit pœnam, *l. 30. §. f. C. d. t.* qvam tamen in fœminâ Jmp: Justinianus iterum mitigavit, *per Nov: 134. c. 10. §. adulteram.* Et qvamvis *Jul: Clar: §. Adulterium n. 7. vers: in senatu ego* &c. ob delictum in fœminâ turpius & in certitudinem prolis annotet, hanc detrusionis pœnam (præsertim cum hoc nostro tempore monasteria pluribus in locis desolata sint) in desvetudinem abiisse, & se nunqvam in senatu eam servari vidisse recenseat; Novissime jus Justinianeum *in d. Nov: 134.* antiqvum conservatum, & capitis supplicium ad masculinum sexum tantùm pertractum est à Carolo V. *in Constit: Crim: art: 120. Vid: Dn. Struv: S. J. C. Excit: 49. §. 30. Item Const: 19. Elect: p. 4. & hæc latè deducentem Dn: Carpz. tr. Crim. p. 2. q. 53. n. 27. & seqq. ubi præsertim de observantiâ fori extra ditiones Electorales testatur n. 32. 33. 34. & 35.*

10. Similem ferè antiqvum Saxonum genus adulterii pœnam sibi reservasse constat ex veterum. illorum Scabinorum responsis *teste Joach. à Beust. d. l.* qvi mulierem tali casu virgis cædendam esse pronunciârunt, nisi inter Conjuges facta sit perpetrati delicti condonatio, *per gl: Land-R. lib. 2. art. 13. verb.* Und die in Oberhurerey begriffen werden &c. Sed hodie ista mitigatio respectu mulieris maritatæ habentis consvetudinem cum maritato amplius in terris Electoratûs locum non habet, sed resuscitatum in utroq; Imp. Constantini jus, *in l. 30. §. C. h. t. per. dictam. Const. 19. §.* wann aber. Ita ut neqve remissio Conjugum locum habeat *per §. seq.* wollen auch. Idem obtinet, si persona maritata cum solutâ sese copulârit, ut hæc, si mulier, virgis cæsa relegatione perpetuâ afficiatur; illa v. sive mas sive fœmina, ordinariâ adulterii pœnâ puniatur; sin v. solutus, capite plectatur. *cit. Const. §.* darüber aber. qvi limitatur, si reconciliatio seqvatur, *§. seq.* Jedoch wollen. & non obstat, qvod inter Conjuges condonatio fiat. *ib. §.* Es sol aber.

Vid.

Vid. Fxckbold. ad tit. ff. d. adult. §. 9. circ. fin. & *Dn. Carpz. d. ∫r. p. 2. q. 54. n. 27. & q. 55. per tot.*

21. Ex qvibus innotescit, tot ferè fuisse adulteri pœnas, qvot regiones, prout in qvâ libet hoc execrandum vel freqventatur vel negligitur vitium. Sed inferat qvis, nulla hic pœnæ proportio cum delicto, adulter enim committit adulterium, & ob hoc capite puintur? Verum, ut taceam, adulterium factum esse turpissimum, non enim factum ipsum simpliciter considerandum, sed *facti* origo, animus nempe, transgressio & pœnæ contemtus punitur. Qvam propositionem etiam ipse summus scelerum vindex adbibuit in trangressione nostrorum Protoplastorum, ubi propter esum mali pœnam iisdem inflixit maximè acerbam. Certum a. est, omnium actiones hominum, sive bonas sive malas, habere sua vel præmia vel pœnas, pro diversitate actionum: si bonæ, præmia ipsas inseqvuntur; sin malæ, pœnas habebunt ob transgressionem pedisseqvas. Et Omnis delinqvens facit se obligatum ad sustinendam istam pœnam præfinitam., & qvasi contrahit cum istâ lege, se velle hanc sustinere pœnam *arg. Rubr. Just. de Obl. qvæ ex. del. nasc.* Ergò habeat sibi, qvod peccarit.

22. Cùm a. pœnam dictitare, sit magistratus, hæc vero sit infligenda juxta proportionem delicti, cum pœna non erit æstimanda pœna ex mente & judicio adstantium executioni, respectu horum enim videtur pœnam superare delictum præsertim in capitalibus; Sed ex personâ ejus, cui est infligenda pœna, hujus enim respctu pœna exæqvanda delictis, idq; propter Criminalistarum Brocardicon: *Crescentibus delictis, crescant pœna.* Qvia minor pœna non amplius habetur pro pœna, & sic insufficiens, qvare ob crescentia delicta augenda pœna. Cum igitur apud nos freqventia sint hæc delicta, & nemo abstineret ab illis, si mulier tantum levi pœnâ dimittererur, vel relegatione leges punirent adulterum, qvis qvæso esset tutus de suo toro? præsertim cum tali delinqventi parùm interfit, qvo in loco degat. Summâ igitur necessitate aductus Constantinus & post eum alii, constituerunt, ut mitiori pœnâ sublatâ vigeat capitalis, qvò aliorum exemplis hoc crimine alii caveant, ne idem committentes eandem incurrant pœnam.

 23. Meritò

23. Meritò ergò laudanda Juris Feudalis de adulterio inter Vasallum & Seniorem suum dispositio, *sc. Feudo privari Vasallum qvi cucurbitaverit Dominum.* Maritus enim & uxor sicuti ex copulatione unum efficiuntur corpus, *can. Agathosa.21. XXVII. q.2.* imo una caro. *Gen. 2. v. 24. c. debitum. in med. X. de Bigam.* maritus etiam ob hunc Vasalli congressum malè incipit audire, *Reusn. disp. Feud. IX. th. 21. in med.* ita & jure Dominus Vasalli vindicans feloniam eum beneficio suo propter violatum juramentum, qvo omnem ipsi promisit honestatem *2. F. 6.* exuit.

MEMBRUM II.

Exhibens

Modos, qvibus Cucurbitatio commissa dicitur, & qvibus non.

I.

SIcuti bona allodialia jus commune non sinit sine facto nostro ad alium transferri, *l. 11. ff. de. R. J. c. 23. c. 76. de R. J. in 6.* ità & beneficiaria legitimo modo acqvisita sine prægnantissimâ causâ à Vasallo non possunt aufferri *pr. 1. F. 11.* Hocq; in tantum procedit, ut etiam à Principe ipso minimè, ne publicæ qvidem necessitatis causâ, nisi refuso pretio *3. Reg. 21. & Ezech. 46.* fieri possit, *arg. l. 3. C. de Resc. Vend. junct. pr. 1. F. 7. Gail. 2. Obs. 56.* licet etiam hic vocetur mundi Dominus *L. 9. ff. ad l Rhod. de Jact. Vid. Schnob. Exerc. ff. 4. th. 12. ibid. cit. text.*

II. Cùm enim nil tam sit congruum fidei humanæ, qvam ea, qvæ inter eos placuerunt, observare *l. 1 pr. ff. de Pact.* & fidem datam frangere grave sit *l. 1. ff. de Const. pec.* ipse qvoq; Princeps meritò, ut cœteri homines obligatur. *arg. l. 4. C. de LL. §. 2.* Ne autem Vasallus sine culpâ suâ perdat Feudum, solliciti fuerunt Compilatores Feudorum, certos modos præscribere, qvibus perdat, & qvibus non. Verùm cùm natura qvotidie novas deproperet edere formas, *2. F. 24. §. item qvi. vers. sed qvia.* & ipsas sub certâ regulâ & rotundâ definitione comprehendere plane impossibile videatur, *2. F. 23. pr. & 2. F. 24. §. 2. vers. Sed qvia.* qvare in tantâ illorum copiâ proposui unicam hanc, ejusq; partim J. Feudalis textibus, partim Dd. communi calculo approbatas species sub dissertationis nostræ incudem revocare.

2. Qvin

3. Qvia verò *l. F. 5. vers. Item si fidelis.* ordine recensentur qvædam personæ, cum qvibus coiens Vasallus Feudum perdit, meritò & reservanda hæc à FF. nobis præscripta methodus. Primò autem sese offert *Uxor Domini*, inqvit enim textus: *Item si fidelis cucurbitaverit Dominum, i. e. cum uxore ejus concubuerit.* Unde formanda hæc venit regula: Vasallus cucurbitans Dominum, concumbendoq; cum ejus uxore, perdit Feudum. *d. text, 1. F. 5. 2. F. 37.* ratio est, qvia agit contra honestatem Domini, & sic contra unum ex sex reqvisitis allegatum *2. F. 6. ibi. Honestum. & 2. F. 7.* cum enim hic non solum sanctissima illa juris præcepta: Honestè vivere, Alterum non lædere, suum cuiq; tribuere *l. 10. π. de J. & J.* turpiter violet; Sed etiam maximè contra Rempubl. cui multum interest, honestos habere cives, peccet, gravius qvoqve marito adulterium esse, qvàm proprii filii occisionem, dicit *Schneid. IV. Comment. ad §. 25. & seq. Inst. de Act. n. 38. vid. Neviz. d. tr. l. 1. π. 30. seqq.* meritò feloniam hanc Dominus vindicaturus, Vasallum feudo privat.

4. Cum vero hic fiat mentio injuriæ & ut aliis infamiæ Domini, non immeritò qværitur, unde sit, qvod maritus laboret maculâ qvâdam propter violatam fidem suæ uxoris? cùm alias notum sit, qvod delicta suos tantum teneant Authores *per. l. 22. C. de Pœn. c. qvæsivit. 2. X. de his, qvæ fiunt à maj. part. cap.*? Hinc in antecessum erunt examinandæ Infamiæ species, qvæ constituuntur vulgò duæ, juris & Facti. *Dd. ad tit. π. de his, qvi not. inf.* qvibus alii levem adjungunt maculam; idq; ideò, ut eò melius constet, qvâ laboret maritus. Infamiam juris non esse, vel inde patet, qvia hæc non nisi sententiâ judicis, vel lege infertur, *Dn. Struv. Exerc. π. 7. th. 18.* De infamiâ facti, qvâ alicujus existimatio gravatur apud bonos & honestos viros *l. 2. π. de Obs. Par. præst.* major videtur dubitatio, cum viri hujus existimatio apud probos non levem patiatur jacturam, qvia talis uxorem, cujus caput est, in obseqvio & fide continere non potest; verùm nec hâc erit notatus, qvia formale hujus in facto turpi situm est infamiti, qvale marito imputari neqvit; E. ad minimum dicendum erit, maritum incurrere levem maculam, qvæ tamen *à Dn. Struv. d. l.* ab infamiâ diversa dicitur. Ast effectum hujus notæ si adspiciamus, neq; hanc eidem id hærere dicendum, cùm non videamus, Cornutum excludi à dignitatibus, facere

facere locum qvæ relæ inofficiosi, & non admitti ad officia; Hinc fortè ad decisionem hujus necessarium videtur dicere, maritum nullâ neq; infamiâ neq; maculâ notari, sed si qvod existimationis damnum patitur, ex opinione imprudentis vulgi est, modò non qvodammodò de ipsâ uxoris culpâ participet. Aliàs enim pro diversitate casus & infamiâ juris & facti notatus esse potest, *arg. l. 4. §. 3. de his, qvi not. inf. & eorum qvæ dict. in h. §.* nimirum pro diversitate admissi & infamis & immunis esse potest, si nihil admiserit, magis ignominia mariti ad ea, qvæ *Dn. Becman. in Med. pol. Diss. 15. th. 11.* infortunium dicit, erit referenda *adde qvæ ex Histor. affert* Harsdörffer. *Jucund. Rel. p. 7. Rel. 159. §. 9.*

5. Sed redeamus ad materiam, & afferendum, hoc non tantum procedere, si actu ipso concubuerit cum uxore Domini, sed etiam concumbere saltem si sese exercuerit, i. e. concubitum ejus modi attentaverit. *Schnob. Disp. feud. X. th. 13.* rationem addit *Curt. Jun. de Feud. p. 4. n. 24.* qvia in delictis atrocioribus, punitur affectus, licet non seqvatur effectus *l. 5. C. de Episc. & Cler. l. 14. π. de sicar. l. 1. π. de Extraord. crim.* Et Apulejus *lib. 4. Florid.* In maleficiis, *inqvit*, cogitata scelera, non perfecta adhuc, vindicantur. Qvæ verba rectè explicat *Rittersh. l. 2. c. 5. p. 5.* cogitationem non intelligi nudam ac simplicem, in mente inclusam & retentam, sed qvæ foras ad actum procedit, seu qvæ externum qvoq; assumit conatum *arg. l. 14. π. ad L. Corn. de Sic. faciunt huc ea, qvæ dicit Cic. lib. 3. Of. cap. cum igitur aliqva species. fol. in ipsâ enim p. m. 107. Rittesh. d.*

6. Qvid verò si eum pœniteat præsumti sceleris num? idem erit privationis effecteus? Dist. puto, aut suâ sponte desistit Vasallus à præsumto scelere, qvodq; si conatus fuisset, perficere potuisset; aut propter impossibilitatem & intervenientia impedimenta retractus pœnitentiâ ducitur. Illo modo neqvaqvam perdit Feudum, nemo enim cogitationis pœnam meretur *l. 18. π. de pœn. can. 14. Dist. 1. de Pœnit. l. 19. π. ad L. Corn. de fals. Hoc* verò si consideratur modo, venit privandus Feudo. *arg. d. l. 19. & §. si voluerit. 1. F. 51. in f.* Conatus enim hic pro effectu habetur *d. l. 5. C. de Episc. & Cler.* & punitur delictum seu potius animus delinqvendi, respectu sc. cujus delictum est perfectum, licet non seqvatur effe

ctus.

Crus. arg. l. 2. C. de furt. & §. 8. Inst. de Obl. quæ ex del. nasc. Curt. Jun. de Feud. p. 4. n. 25. Zas. de Feud. p. 59. n. 27. Dn. Struv. S. I. F. c. 15. 4. 8. π. 5.

7. Dicitur porrò in textu: *Aut cum eâ turpiter luserit.* Ubi venit explicandum, qvid sit τὸ turpiter ludere. *gl. ad d. §. Item si fidelis.* & explicat, qvod sit, si fortè manus ad pectus ejus ponat. Addit *Schulz. syn. I. F. c. 11. π. 19. & Reusn. Diss. IX. th. 32.* si manum in sinum mittat, fœmora, mammillas, vel alium locum unde turpe esse potest, contrectet: *per l. 16. tit. 54. lib. 2. LL. Langob. allegatam à Rittershusio d. l. q. 94. arg. l. §. ult. & l. 10. π. de injur.* imo hoc fit, si mittat mulieri literas amatorias, vel munusculorum incitamenta, qvibus ad stuprum eam sollicitet, familiam & custodes corrumpat, aliisvè strophis pudicitiam ejus expugnare attentet *Vult. c. 31. in f. Reusn. d. l.*

8. Hinc Qv: An etiam ob osculum uxori Domini applicatum amittatur feudum? variæ sunt hic sententiæ, ego distinctione qvâdam dirimendam arbitror, aut enim oscula sunt turpia, libidinosa & amatoria, & hæc qvia sunt amoris basis & præparatoria. *gl. in l. 1. pr. π. extraord. crim. verb. propter voluntatem.* meritò promovent Vasallum ad feudi privationem; aut verò sunt Oscula charitativa & officiosa, qvæ charitatis gratiâ puellæ obvenienti impinguntur, qvæ uti sunt sancta & religiosa, meritò Apostolorum Principes Christianis commendârunt *Rom. 16. v. 16. Epist. Pet. 5. v. 14.* Hic tamen benè observanda consvetudo loci, nam de Gallis, Belgis & his vicinioribus Germaniæ populis refert *Reusn. ex* Finckelthaus *d. l.* qvod apud eos osculum non tantum omni crimine vacet, sed & singularis benevolentiæ signum sit, & qvi id prætermittat, rusticus & agrestis habeatur; aliter v. sese habere dicit in Italiâ, Hispaniâ & plerisq; Germaniæ locis; ubi osculum luxuriosum, amatorium & criminosum judicatur, severeq; qvasi archa qvædam & præparatio rei Venereæ vindicetur; Et hinc apud hos Vasallus facilè amittere; apud illos v. ob hæc non tam facilè poterit. Qvò pertinere detur vulgatum.

Si fueris Romæ, Romano vivito more,
Si fueris alibi, vivito sicut ibi.

Distingvenda tamen & hic sunt oscula, utrum fiant in loco aperto

& arbitris præsentibus, an v. in loco secreto. Illo modo ex circumstantiis facilè potest dijudicari, qvalia sint, hoc vero si fiant modo, & vides aliqvē uxorem amplexantem, aut est Clericus, aut vero Laicus: si hic, meritò præsumitur, osculum fuisse impudicum & libidinosas svaviationes; si vero Clericus, olim hoc interpretabantur benedictionis causâ factum *gl. in c. absit. & c. verb. sinistrum. & c. XI. q. 3.* successu vero temporis factum neqvitiâ Clerismum, ut illa sententia glossæ communiter sit rejecta, per c. 1. & 2. X. de colab. Cler: & mul: Non enim præsumitur, illum dare mulieri benedictionem, & facere Zelo charitatis, à tali enim charitate libera nos Domine, nam non præsumuntur dicere: Pater noster, *uti inqvit Nevizan. d. tr. lib. 4. n. verb. Curt. Jun. p. 4. n. 26. per L. 5. ff. de seqv. export. & arg. l. 1. ff. de extraord. crim. Alciat. in tit. ex de Jud. c. 10. n. 10. seqq.* Siebenth. *Coll. Arb. Exerc. 12. q. 11. in f.* Cum igitur oscula impudica non tantum proxima sint à coitu, d. m. pars qvædam adulterii *Nevizan. d. l.* & mulier non tantum pudicitiam illibatam maritò, verum etiam oscula viro sincera reservare debat *Val. Max. lib. 6. c. 1.* hinc optimo & stricto jure Vasallo pedissеqva erit privatio Feudi, dicitur *n. hic in d. §. si qvis fidelis. & c. 1. F. 5. si turpiter luserit. & §. Porrò & c. 2. F. 24. ibi. graves & in honestas injurias & c.* qvæ verba admodum generalia, & continere benè possunt injuriam hanc ex osculo impudico illatam. *Alciat. ad tit. ff. soluto matrim. l. 2. n. 6.*

9. Sed cùm hic agamus de osculo impudico & libidinoso, paucis perstringam controversiam, an etiam mulier ob osculum dotem perdat? Mirificè hic sese torqvent Dd. qvidam pro affirmativâ; qvidam è diverso pro negativâ militantes. Illi, inter qvos est Borchold, adducunt *l. si à sponso 16. C. de Donat. ante nupt.* ubi Constantinus Imp. dicit, si à marito sponsa sit osculata, usq; ad partem dimidiam lucrari eam res sibi donatas. *ubi Gottofr. ad d. l. addit,* hoc non habere locum in Galliâ, ubi sponsa SCto Toletano an. 1575. die 12. Jul. jussa est reddere omnia sponsalitia munera; aliud tamen esse dicit, si sit sponsa de præsenti, idq; fortè ob rationem datam th. præc. qvia apud eosdem osculo pudicitiam delibari non præsumunt. Hi enim fidem habent de honestate mulierum suarum arbitrantes semper id bonam in partem fieri, & qvod omnia hæc bonæ & honestæ amicitiæ causâ contingant *Gottofr. d. l. & Neviz.*

d. p.

d. p. 4 n. 78. p. m. 325. Hujus opinionis qvoqve est *Baldus in c. tua X. de Procur. allegans,* hanc in rem *d. gl. L. 1. de Extraord. Crim. Quibus assentire videtur ille Poëta Naso: canens. lib. 1. de art. amand. p. m. 265.*

Oscula qvi sumsit, si non & cætera sumsit,
Hæc qvoq; qvæ sumsit perdere dignus erat.

Sed hisce non obstantibus alii dicunt, ob oscula mulierem non amittere dotem, idq; ex causis dissolvendi matrimonia justis *in L. 8. pr. §. 1. 2. & 3. Junct. l. pen. in f. F. de Repud. Nov. 117. c. 8. junct. c. 12.* recensitis, ubi Imp. Justinianus *in c. 8. all.* dicit, se prospexisse hæc nominatim adjicere, qvæ sufficiant ad transactionem legitimorum matrimoniorum, reliqvas autem omnes vacare, nullamq; aliam causam circa eas, nominatim huic legi inscitas posse solvere legitimum matrimonium s. veteribus s. Impp. LL. contineantur. Cum igitur in relatis Constitutionibus osculum ut causa legitima dotis amittendæ enumeratæ non inveniatur, seqvitur utiqve eam legitimam non censeri. Qvibus juvat, odiosa non esse amplianda, sed potius restringenda *c. odia, X. de R. J. in sexto.* hic vero versemur maximè in odiosis & totâ ferè salute mulierum, qvare ex claris Impp. verbis hæc odiosa potius restringenda, qvia per argumenta ad alia referenda *Menoch. de arbitr. Jud. qvæst. lib. 2. Cent. 3. Cas. 287. n. 7. 7. & seqq.* Pro decisione igitur hujus famosæ & celebris qvæstionis assero, pœnam illam, qvam lex consummato delicto imponit, ad attentationem producendam non esse *arg. l. 53. π. de V. S.* præsertim cum osculum etim citrà stupri desiderium concedatur; Qvare apud Theocritum puella:

Ne Satyrisce tume, rem, ajunt, esse oscula inanem,
Facie ablutâ tolluntur & oscula sputo.

Et sicuti ipsa adulteria non sufficienter probantur, si testes dicunt, se vidisse mulierem jacentem cum viro, aut conspexisse cum nudâ in eodem lecto cubare, vel se observâsse, solum virum & mulierem occultè se deosculantes & amplectentes, aut vidisse juvenem in camerâ dispectoratum & caligis solutis, dum mulier januam clausam teneret, & juvenem adesse negaret, *c. literis. 12. X. de Præsumt. junct. c. 27. X. de testib. & attest.* licet faciant certam præsumtionem stuprationis l. adulterii facti, non tamen probant, præsertim cum.

L. 23. ff. de Adult certam adulterii probationem esse velit, qvod ἐν ἔργῳ deprehendantur, aut uti *Lucianus in Dialogo, qvem Pamphylus inscribit, putat, ἄρθρα ἐν ἄρθροις ἔχειν.* Qvare oscula faciunt qvidem aliqvalem præsumtionem & indicia ad actum venereum, præsertim si fiant in locis suspectis & remotis arbitris, nullam tamen plenam & sufficientem probationem. Hinc distingvendum puto inter oscula per se & simpliciter considerata, & ratione temporis, loci & personæ sumta, illa nunqvam privant mulieribus dote; hæc vero non aliter, nisi ex Qvalitatibus, & aliis Circumstantiis convincatur, haudqvaqvam stetisse mulierem intra osculi terminos *c. 14. X. de Præsumt. Alciat. Parerg. lib. 4. c. 10. circà fin. Ad obstantem L. 16.* dico, qvod ea, qvæ in favorem alicujus introducta, non sint applicanda ad incommoda, præsertim cum hic versemur in maximè odiosis Quibus etiam tenaciter adhærent Canonistæ, si enim vocabulum Clericus in re favorabili versatur, omnes Ordines etiam Episcopos comprehendit; sed dicunt, in mateia odiosâ Clericorum nomine non comprehenduntur in dignitate constituti *referente Magn. Dn. D. Zieglero, Ordinario, Præceptore & Patrono ad cineres usq; colendo in Prælection. suis privat. ad Stephani Inst. Jur. Can. c. 2. n. 8. verb. Episcopi sub Clericis &c.*

10. Qvid vero si uxor qvædam teneat dotalitium à maritò, an idipsum ob adulterium amittatur? Sed anteqvam rem ipsam aggrediar, excutiamus mariam hanc à suo ortu. Initio igitur usum habuit dotalitium tantùm inter Nobiles, *n. Pist. lib. 1. q. 4. n. 1. seqq.* postea vero inter cives etiam & alios, si feuda possideant. *gl. lat. in LandR. lib. 1. art. 20. lit. 6. vers. qvod secus est &c.* utpote in qvibus potissimum constituuntur, licet etiam possit fieri in allodialibus LandR. *lib. 3. art. 75. ibi.* An eigen guth ist rechte gabe v. Leibguht / constituit vero hoc dotalitium maritus & eo mortuo, successor feudi in compensationem dotis ad hoc, ut uxor post mortem mariti usqve ad vitam eâ utatur fruatur. Constituto igitur hoc modo dotalitio, dico ad qvæstionem, qvod uxor perdat id; dotalitium enim omne succedit in locum dotis illatæ, sicuti autem hæc adulterio amittitur, *L. 8. §. 3. junct. § 5. verb. qvam ante C. d. Repud. & l. 8. §. 2. ff. de Donat. inter Vir. & ux.* qvis negabit & hoc non perdi, surrogatum enim sapit naturam surrogati. Et hoc in tantum

proce-

procedit, ut licet maritus morte præventus accusationem non instituerit, modò indignatus eam expulerit, vel de eo conqvestus sit *Vid. Nov. Elect. Aug. p. 4. Const 21. Cur. adstipulatur Gl. ad* LehnR. *art. 31. n. 4. ibi.* Breche sie auch ihre Ehe / Und würde mit Recht von dem Manne geschieden / durch des Ehebruchs willen / sie verlühre damit ihr Leibgeding. *Vid. qvoqve Gl. ad* Weichb: *art. 22. n. 22. vers* zum Fünfften / ob sie bey ihres Mannes Leben &c.

11. Sed ut ad materiam nostram redeamus, hic venit considerandum & hoc, qvod sc: Feudum non tantum pertatur si cum uxore Domini, sed etiam si cum ejus Concubinâ sese immiscuerit, de jure communi civili, licet forsan aliud observetur moribus, qvia enim hodie Concubina nihil honestatis habet, non habebit qvoqve eundem effectum. *Schnob. Disp. Feud. 10. th. 15.* Dominus enim alens talem Concubinam rem gerit illicitam, & contra observantiam reipublicæ peccat. De jure vero antiqvo Concubinatus cùm fuerit licitus, aliud dicendum, modò *(1.)* ambo sint soluti *L. 11. C. de Concubin.* ubi dicit Imp. Constantinus, nemini licere constante adhuc matrimonio, Concubinam alere & (2.) Concubina non sit ex illustri familia & libera nata *L. 3. pr. ff. de Concubin.* debet itaqve esse vel è servitute manumissa l. libera obscuro loco nata. Concubina enim ab uxore sola dilectu i. e. animi declinatione & proposito separatur, *Paul. lib. 2. Sent. tit. 20.* inter Concubinam enim & uxorem præter dignitatem nihil inter est *L. 49. §. 4. ff. de legat. 3.* & in Concubinarum æqve ut in uxorum bona filii successibiles sunt *L. 5. verb. sin autem &c. C. Ad. SCtum Orphit.* sc: in bona allodialia, minimè vero feudalia *per text. 2. F. 26. §. Naturales* qvare etiam in his timenda perturbatio sangvinis; si enim Unci qvædam bonorum liberis his naturalibus esset relinqvenda *per l. 2. C. de natur. lib.* & relinqvens l. ejus herędes nescirent, an ex eo nati sint liberi, meritò præcavenda illa perturbatio, ne sc: eâ impraegnatâ alius superveniat & sangvinem conceptum turbet in utero. *per l. 11. ff. de his, qvi not. inf.* qvanqvam hæc ratio non omni exceptione major, qvia tamen legalis, admittenda, alias enim jamdiu à nostratibus Medicis præsertim explosa. Hi enim teste Hahn. ad d. l. 11 di-

 cunt

cunt sangvinem semel conceptum non posse turbari ab altero, qvam tamen controversiam meam non fecerim.

12. De Jure vero Canonico licet Concubinatus videatur prohibitus ad exemplum Juris divini, qvod videre est *c. Concubina seqq. XXXII. q. 2. & c. nemo ead. caus. q. 4. junct. c. 3. Gen. & Matth. 19. 1. Cor. 5. & 7. Vid. Emer. à. Rosb. compar. J. Civ. & Car. lib. 1. tit. 7.* non tamen videtur totus prohibitus, sed qvodammodo restrictus; nam in *c. solet qværi 6. XXXII. q. 2*, præsuppositis seqq: reqvisitis conceditur Concubinatus. (1.) consistat inter Cœlibes. (2.) non filiorum procreandorum, sed pro incontinentiâ solius Concubitus causâ jungantur, & qvidem (3.) eâ fide mediâ, ut nec ille cum alterâ, nec illa cum alio idem faciat (4.) Concubina non ad tempus duntaxat, sed eò usqve assumatur, donec alia dignior aut ditior accipiatur. Hisce igitur observatis & nullo neglecto stabit vi *d. can.* Concubinatus, uno vero deficiente non Concubinatus sed fornicatio erit dicenda. *Hunn. in Resol. Jur Civ. lib. 1. tr. 3. q. 5.* qvod assertum præterea comprobant *tex. in can. isqve dist. 34. & seq. Christiano ead. Vid. Rittersh. Differ. J. Civ. & Can. Lib. 2. c.* Si igitur licitus, qvid prohibet, qvò minus etiam Vasallus Feudum perdat concumbendo cum Domini Concubinâ. Sed hic nobis litem movet *Rittersh. part. feud. lib. 2. c. 5. q. 104. in med. & ibi cit. Dd.* qvi dicit (1.) qvod odiosa non sint amplianda, præsertim cum nulla fiat determinatio hujus materiæ in J. F. *arg. l. 19. in f. π. de lib: & possum.* (2.) qvod non eadem sit ratio in Concubinâ, prout est in uxore *arg. l. 17. pr. π Rer. amot. & L. 13. § si quis uxorem vers. Qvod & in π. ad l. Jul. de adult.* magis etiam faveamus uxori, qvod Concubinæ in dispositionibus juris *per 49. § 4. π. de legat. 2.* Sed hisce non obstantibus satisfacit nobis textus *2. F. 26. §. 1. vers. Prædictis.* ubi reperimus dispositum, qvod natualis & civilis ratio svadeat, prædictis modis perdi feudum, & hæc ratio possit colligi ex novis Constitutionibus, qvibus exheredantur filii &c Recurrendum igitur ad jus Civ. & videndum, an etiam Concubitus hic cum Concubinâ Patris sit sufficiens ad exheredationem, hic verò sese offert *Nov. 115. c. 3. §. 6.* ubi inter justas exheredationis causas etiam Imp. disponit, si Novercæ suæ aut Concubinæ Patris filius sese immiscuerit; qvalis igitur injuria hic Patri & qvi-

dem

dem gravissima infertur , talis meritò censetur facta à Vasallo in Dominum.

13. Sed regerat qvis, adhuc sub judice lis est, an hoc omni careat dubitatione Vasallum iisdem ex causis perdere feudum, qvibus perderet hereditatem filius dissolveretur matrimonium & Donationes revocentur? Et qvanqvam fatendum sit, Feudistas in diversas hic abere partes , facio tamen cum illis, & veriorem esse puto illorum opinionem, qvi statuunt, Vasallum perdere feudum ex iisdem causis, qvæ æqvi pollent in jure Feudali relatis. *argum. 2. F. 24. §. 2. vers. prædict.* præsertim si inspiciamus fundamentum harum causarum, gravem nempe & inhonestam injuriam, ob qvam exheredantur scilicet liberi, dissolvantur matrimonia, & donationes revocantur, jam vero si hoc adspiciamus, qvid certius, qvam Vasallum ideò amittere Feudum; qvia injuriosam & magnam injuriam Domino suo intulerit *per 2. F. 7. inf. pr. junct. 2. F. 24. §. Porrò.* jam vero qvis tam absurdus erit, qvi statueret, illas dictas causas non continere maximam imò gravissimam injuriam, præsertim cum filius nullâ ratione poterit exhedari à Patre, nisi svadente maximâ injuriâ & ingratitudine. *per all. Nov. 115. c. 3. §. 6.* idem dicendum de solutione matrimonii *per l. 8. C. de Repud.* sic & in revocatione donationis reqviruntur injuriæ atroces. *per l. ult. C. de revoc. donat.* Certi autem alias juris est, qvod omnis injuria sit æstimanda ex inferente & eo, cui infertur, s. in cujus potestate est, non vero respectu extranei cujusdam; sic & hæc injuria est æstimanda non ex extranei cujudam personâ, qvæ: sc. ei infertur injuria, forsan occidendo aliqvem, l. adulterando alterius uxorem. Hâc enim ratione, licet millies Vasallus adulteret alterius uxorem non tamen injuriam ullam habebit Dominus ex eo facto, sed potius Vasallus obligabit se ad pœnas adulteris præscriptas ; si vero consideratur ex personâ ejus, qvæ est conjuncta inferenti & ipsi obligata ad mutuum honorem præstandum, maxima & gravissima est injuria, sic in exheredatione est considerandus filius respectu patris , in dissolutione matrimonii, mulier respectu mariti & vice versa, uti & in revocatione Donationis Donatarius respectu donantis. Hisce igitur præsuppositis , non video qvare recedatur à communi opinione. Nec qvicqvam facit qvod regerit *Schultz. in S. J. F. c. XI. n.*

56. vers

56 *verf.Verum si* & cum eo *Curt. Jun. tr. feud. p. 4. n. 77. Schnobel. Disp. Feud. 10. n. 29.* Qvod admissâ hâc prædictâ opinione, seqveretur, qvemadmodum dissolvitur matrimonium adulterio qvocunqve *per d. l. 8. C. de Repud.* similiter Vasallum feudo privari ex omni adulterio; Sed nego conseqventiam, benè enim observandus respectus, cui sc: infertur gravis injuria, cum vero h. l. gravis injuria fiat mulieri, qvare ex hoc etiam concedi dissolutionem matrimonii; sic & hic, qvia per concubitum Vasalli cum Domini uxore ipse Dominus injuria afficiatur; non vero si Vasallus cum alterius uxore concumbet, hinc meritò illo modo punitur privatione feudi; hoc vero non: nulla enim ipsi infertur Domino injuria. Hisce addendum, ubi eadem est juris ratio, ibi etiam legis dispositio *L. 108. de V. O. L. 32. ff. ad l. Aqvil. & l. ult. C. ad l. Falcid.* nisi lex expressè diversum svadeat, Sed hic est eadem legis ratio naturalis sc: & civilis *per text. 2. F. 24. §. Prædictis, &c.* ubi Feudista Obertus de Orto semet ipsum remittit ad causas allegatas legitimas, dicens, prædictis modis beneficium amitti, tam naturalis qvam civilis ratio svadet, ubi naturalem forsan intellis igit eam, qvod sit honoribus afficiendus, omniqve honestate proseqvendus, à qvo beneficium accepimus, per civilem vero, qvæ in allegatis tex. locum sibi vindicat; si hoc, qvare non etiam eadem Juris dispositio, præsertim cum nullum habeamus juris textum, qvi contrarium svadeat, *sed textus 2. F. 7. §. 1. in f. potius* nobiscum faciat. Neqve etiam facit qvicqvam qvod *Curt. Jun. d. p. 4. n. 77. adducit ex gl. L. fin C. de Revoc. donat.* ubi loco fundamenti adducit argumentum *ex Nov. 78. c. 2. pr.* Sed ne Oedibus qvidem divinaret hoc argumentum, non enim hoc vult *Nov. all.* sed potius dicit, qvod non tantæ sit conditionis donans, qvam Patronus, & hic majora privilegia habeat, qvæ Donator. Neqve ipse *Curt. Jun.* sibi satis constat, *in n. 77. all.* dicit, non omnes causas locum habere ad amissionem Feudi *in ff. c. 1. præced. 21.* ipse utitur hoc argumento: Ex qvibus causis filius exheredatur, ex iisdem etiam feudo privatur, & loco probationis adducit *text. alleg. 2. F. 24. §. Prædictis.* Hoc tamen ità intellectum volo, nisi sint expressi textus J. F. qvi aliqvam harum causarum removeant, & tollant, hoc modo enim facilè concedo, qvod non ex omni homicidio perdatur Feudum, præsertim

fertim cum non fiat hoc modo Domino injuria, *per text 2 F. 37. pr.* si autem fiat proditorie aut in injuriam Domini, aliud dicendum, *Reusn. d. Disp. IX. th 63. & ibi cit. Vultei. lib. 1. c 41. n. 32. verb. Non idem & n. 13. eod. Rittersh. d. c. 5. q. 3. pr.*

13. Stat igitur, Vasallum perdere feudum, si cum Domini Concubinâ concubuerit de J. Civ. & Can. Cum vero non tantū à Ducibus Marchionibus & Comitibus Feuda concedantur, sed qvoqve ab Archi Episcopis; Episcopis, Abbatibus *per 1. F. 1. pr.* non immeritò qværitur, si Episcopus Senior forsan Concubinam qvandam alat, & Vasallus cum eâ concumbat, an ideò feudo privetur? Et Re: qvod non: (1.) inter Episcopum enim & Concubinam nulla civilis conjunctio, *arg. Nov. 123. c. 24.* sed damnatus & detestabilis amplexus. *t. t. X. de Cohab. Cler: & mul.* hinc etiam non posse fieri, qvod ipsi Episcopo exinde gravis & sufficiens causa oriatur ad amissionem feudi. Ubi enim similis turpitudo, ibi & æqvalis compensatio *Dd. ad L. 3. de Cond. ob turp. caus. & l. 47. ff. sol. matrim. L. fin. §. pen. ff. de eo, per qvē fact: fac: gl. ad l. 2 pr. verb. deteriore ff. Ne qvis eum, qvi in jus voc.* ubi dicit, in pari delicti causa conditionem rei potiorem esse. cum autem (2.) Episcopus pœnam & beneficiorum exclusionem propter Concubinam mereatur *c. 11. dist. 32. c. sicut. & c. 4. in f. X. de Cohab. Cler: & mul:* unde (3.) ex qvo pœnam meretur, lucrum expectare non debet, qvod ei ex privatione Vasalli & consolidatione Feudi eveniret, nemo enim ex suo delicto meliorem suam conditionem facere debet *L. 134. §. 1. ff. de R. J.* & eodem ex facto nemo & pœnam & prœmium conseqvi debet, *gl: l. 38. pr. ff. Ex qvibus caus: maj. verb. cum crimen. & c.* Si igitur Concubinatus Clericis illicitus, meritò damnandus ille fiscalis alicujus Episcopi, hic enim cum extorqveret subsidia, ut vocant, charitativa à sacerdotibus, & forte etiam ad sacerdotem in rure degentem perveniret ut solveret, is verò se defendens dicebat, sibi non esse Concubinam, respondit homo neqvam: Hei provideas tibi de unâ, Episcopus cogitur habere pecuniam, *uti hoc relatum sibi refert Zas: in Enarrat: ad l. 3. ff. de Jurejur: n. 9.*

D 14. Non

14. Non tamen amiſſio hæc regulariter procedit, ſi Vaſallus tantum turpiter eam allocutus ſit, non verò, *uti gl. ad d. §. ſi qvis fidelis &c.* ejus perſonam tetigerit, ſi forè cum eâ licentioſe l. etiam impudice ſine aliâ tamen ſuſpicione loqveretur, qvia non tam turpe eſt colloqvium, qvam tactus, & maximè, cum hic verſemur in pœnalibus *c. odia de R. J. in ſexto.* oportet enim aliqvid fiat in perſonam mulieris ut perdatur, forſan luſus laſcivus accedat vel tactus impudicus. Nec qvicqvam facit, qvod colloqvia & baſia ſint præludia Veneris *p. r gl: ad l. 1. π. de extraord. crim:* eſſet enim nimis remota cauſa & præparatio ad concubitum, conceditur qvidem, ſi conjunctim fiant & baſia & turpia colloqvia, non vero ſi tantum colloqvatur; alias etiam ſeqveretur, ex viſu l. riſu utpote in eodem ferè amoris gradu cum colloqvio poſitis, qvoqve privari feudo, juxta id: *Poſt viſum riſum: poſt riſum venit in uſum, Poſt uſum tactum, poſt tactum venit in actum.* Idem erit dicendum, ſi errore lapſus uxori ſenioris ſolviſſet cingulum, reperiens ipſam forſan in lecto ſuo, & credens ſuam eſſe uxorem, hæc p. poſte eſſe impudica in domum Vaſalli, & ut juvenis perſonata ſub larvâ autem cucullo intrâſſe, modò fraus Vaſalli abſit *arg. c. tamen lectum 6. XXXIV. q. 2. fac. l. pen. π. de adult. l 50 π. locat.* modò non præcedant conjecturæ l. ſuſpiciones, & malæ in Vaſallo affectonis umbra ſubvolaret; Non autem qvævis craſſa & ſupina (ſi fortè dicat, ſe ignorâſſe, non licere cucurbitare Dominum) ignorantia excuſat Vaſallum; Sed juſta & qvæ excuſationem meretur *t. t. π. de Jur. & fact. ignor.*

15. Qvid vero ſi Vaſallus tantum opem tulerit alteri cucurbitanti uxorem Domini ſui, dum fortè domum ſuam, ut adulterium fiat, ſcienter præbuit. *arg. l 8. π. de adult:* vel ſi tantum in domum ſuam ſoliti fuerint convenire ad tractandum de adulterio, etſi eo loci nihil fuerit admiſſum? & puto, qvod perdat feudum, fingitur enim hic domum ſuam ideò conceſſiſſe, ut adulterium committeretur *l. 9. §. ult: eod:* ubi additur ratio, qvia ſine colloqvio illo adulterium non committeretur, *arg. l. c. 3. §. ult. π. de V. S.* cum enim hic

non

non aciat, qvæ facere debeat, neqve prohibet, qvò minus Dominus injuriam aliqvam patiatur in personâ, neqve procurat cujus honorem, qvem habuit tempore juramenti præstiti, l. etiam habebit *per tex: l. 2. F. 7. verf. Ego juro &c.* sed potius omnibus nervis eò tendit ope suâ & administratione domûs, ut injuriam patiatur; meritò qvoqve se indignum hoc beneficio judicat. *Intrigliol: de Feud: q. 81. n. 4. Curt. Jun. de Feud: p. 4. n. 20.*

16. Par militat ratio in eo, si ipsi Dominæ consilium adulterandi præstiterit, persvadere enim plus est, qvâ compelli atq; cogi sibi parere, *l. 1 §. 3. π. de serv: corr:* licet non accesserit delictum, hic enim fecit, qvod facere potuit consilium administrando, qvod vero consilium ipsius non finem suum attigerit, non penes ipsum stetit, *arg. §. 8. Inst: de Obl: qvæ ex del: nasc;* & semel malus, semper præsumitur talis, *c. 8. de R. J. in sexto.* hinc licet non potuerit persvadere hunc ad hoc maleficium, forsan in alium imprudentiorem & ad hoc flagitium proniorem optatum exitum hoc consilium habebit *arg. de §. 8. Inst. circa fin.*

17. Sed cum non tantum maritus ob uxoris stuprum maximam incurrat injuriam; d. m. Sponsus ob injuriam illatam, exinde etiam Sponsus meritò injuriarum agere possit *l. 15. §. 24. π. de injur.* rectè Vasallus concumbens cum Sponsâ Domini Feudum perdet *arg. 1. F. 5. d. §. Item si fidelis ibi cum uxore ejus &c.* licet enim desponsatæ reverâ & propriè non sint uxores *aperg. l. 12. §. 1. & L. 38. pr. π. de R. N. l. 9. π. de his, qvi not. inf. l. 5. C. de bon. qvæ lib.* tamen ita appellantur, ut in illo *Deut: c. 22. verf. 23.* ubi dicitur si qvis sponsam alterius oppresserit &c. morte moriatur, *ratio, in verf. 24;* qvia uxorem alterius violavit, *fac. l. 5. π. ne testib. & c. qvi desponsatam &c. 12. XXVII. q 2.* hocqve ob promissionem factam & spem futuri conjugii; Est enim sponsus qvasi maritus & desponsata qvodammodo nupta *Vinn. in Not. ad §. 9 Inst. de Nupt.* Uxor enim Sponsa in his, qvæ ad sponsi honestatem pertinent, esse intelligitur, *arg l. 30. π. de R. J.* nec nuptias duntaxat, sed nec spem nuptiarum temerare debet Vasallus. *l. 13. §. 3. π. ad L.*

Jul. de adult. Reusn de Disp. IX. th. 33. Schepliz. ad Klammer: tr. Promtuar: Jur: Civ: & Feud. tit. 7. §. 9. n. 4.

18. Et hæc de uxore vel huic simili personâ Domini: Pergit *textus de 1 F. 5. §. Item si fidelis. &c.* Vel si cum filiâ, aut cum nepte ex filio cum nuptâ filio. *& 2. F. 24. §. Rursus* perdit itaqve Vasallus Feudum, si cum hisce concumbat personis, patitur enim non solum qvis injuriam per semetipsum, sed etiam per liberos, qvos in potestate habet & qvi liberorum loco sunt; *§. 2. Inst. de Injur. l. 1 §. 3. ff. & l. 2. C. eod*: Notanter vero dicitur Nepte ex filio, non vero filiâ, secundum communem Dd. opinionem, Senior enim non tantum dedecus accipit per injuriam illatam nepti ex filiâ, qvam ex filio, *Reusn. d. l. th. 38. ex vultej lib. 1. c. 11. n. 31.* illa enim non in avi materni, de patris sui est familiâ *§. ult. Inst. de P. P.* & filia non Patri, d. marito filiumfam: parit, *l. 2. § 1. l. 29. sol. matr.* & nil refert qvo fiat loco, an in domo patris, an vero alibi. Idem qvoqve obtinet in Nuru, nam & hæc loco filiæ est socero & socrui *§. 6. Inst. de Nupt. Rittersh. d. tr. q. 107.*

19. Hisce jungitur soror Domini *dd. textt.* si sc: est in domo fratris, extrà hanc enim constituta, cum deficiat amissionis causa, Vasallus est excusandus; majorem vero ad Domini injuriam pertinet, si hæc nefanda patrentur in domo suâ, qvam si alibi *arg. l. 23 § 2. ff. ad l. Jul. de adult. Zas: de Feud. p. 10. n. 25.* rationem allegat *Rittersh. d. l. q. 108.* qvia hoc posteriore casu non tam propriè attingit Dominum feudi ut priore, nam nubendo alteri, à domo fratris transit in familiam mariti sui, qvi illam vindicare debet ipse injuriam.

20. Hic vero magna exoritur C: inter FF. Qvænam veniat hîc intelligenda soror, an qvæ adhuc innupta, an vero jam nupta? *Zas. d. p. 10. n. 25. & Curt. Jun d. p. 4. n. 29.* putant *ex 1. F. 5.* sufficere, delictum esse in domum fratris commissum, non observato, an sit nupta l. non *per d. l. 23. §. 2. de adult.* ad textum *2. F 24. §. Rursus* contrarium dicit *Jun. d. l.* multum interesse an part: *Quæ* in hoc textu ponatur Relativè; an vero demonstrativè, si h m accipiatur, putat liberandam esse opinionem Alvarotti *qvi m. d. §. Rursus* existi-

mat,

mat, nihil interesse, maritata sit uxor, si non, modò existat in domo fratris. Sed qvam benè id statuant, videbimus, nam *in d. §. Rursus* expresse additur: *qvæ in capillo* dicitur, jam vero ex stylo Langobardorum notum est, ipsis in capillo idem fuisse, ac nondum maritatam puellam esse die im Haaren geht/ qvæ nota apud Saxones erat virginitatis, uti annotat *Reusn. in Præfat. Jur. feud. ad lector. verb. Accedit &c.* qvam explicationem qvoqve suam facit ipse *Zasius p. 10. n. 25. in pr:* hoc igitur concesso, concedendum qvoqve non sufficere sororem in domo esse, sed etiam accedat, adhuc eam innuptam esse, nec qvicqvam facit *1. F 5.* ubi simpliciter dicitur, textus enim ex textu est explicandus *per l. 26. π. de ll. & l. 41. π. de Poen. arg. l. 119. de V. O.* ubi enim lex duo conjunctim reqvirit, non sufficit alterum fieri, sed utrumq; debet adesse *l. 129. de V. O. & l. 5. π. de Cond. Inst.* ad distinctionem allatam à Jun. Curtio. dico, Relativi naturam esse, ut referat se ad antedictum & sic qvandam continuationem significet *arg. l. 1. C. de SS. Eccles:*

21. Si verò (dicat qvis) Vasallus ob commissum stuprum illatum Domini sorori perdit feudum, multò magis ob cædem fratris Domini? Sed ob hanc non perdit *per 2. F. 37.* cum tamen atrocius sit crimen homicidium, qvam stuprum, illud enim pœnam secum fert capitalem, *per §. 5. in pr. Inst. de publ: Jud: & l pen. §. 1. π. de L. Pompej. de Parricid.* hoc vero non nisi publicatione dimidiæ partis bonorum *per. §. 4. Inst. de adult.* Sed dico, qvod Vasallus concumbens cum sorore Domini videatur plus peccare, & cum majori ignominiâ qvam occidendo fratrem Domini propter violatam pudicitiam Domus, & qvia qvodam modo soror est in tutela & à Domino dependet. *Zas. d. p. 10. n. 26.*

22. An vero idem obtinet, si concumbat forte cum matre ipsius Domini? cum hic expresse non disponat jus feud: recurrendum ad Jus commune *arg. 2. F. 1. in f. pr.* hoc verò dicit: Eadem debetur matri, qvæ Conjugi reverentia, *arg. Nov. 105. c. 2. pr:* item mater & uxor respectu Conventionis coram magistratu officiorum similibus gaudent privilegii

 L. fin.

L fin. §. 1 pr. C. de Castrensian XII l ult. pr. C. de Privil. Schol. eod. XII. si igitur hoc, necessariò seqvitur, Vasallum perdere feudum, si concumbat cum senioris matre, ubi enim eadem legis ratio, ibi eadem dispositio. *Curt. Jun. d. p. 4. n. 20. Schnob. Disp. Feud. X. th. 14. in pr.* imo putarem, Dominum longè majorem ex hâc commixtione sentire injuriam, qvam si cum ejus concumbat uxore.

23. Qvid vero si Dominus sit mortuus, & Vasallus concubuerit cum ejus Viduâ residua? Controversia hic maxima est inter Dd. sunt enim qvi planè negant, ob id Vasallum feudo privari, *Schnob. d. Disp. X. th. 14.* moti textu qvodam satis prægnante *1. F. 21. §. ult. ibi vivente Domino*, Et: cessante, dicunt, causa, cessat effectus, & mortuo Domino, non alterius poste aliqvid fieri in ejus contumeliam; Alii in totum affirmant, indifferenter Vasallum hâc ratione perdere feudum *per l. 4. §. 16. ibi: semper enim reverentia ff. de doli exc. l. 8. in f. ff. de senat. l. 22. §. 1. ff. ad Munic. Curt. Jun p. 4. n. 20.* Alii iterum distingvunt inter tempus luctus & reliqvum vitæ Viduæ spatium, illo modo putant Vasallum perdere Feudum; hoc vero non, *arg. Nov. 39. c. 2. Dn. Struv. S. J. F. c. 15. aut 9. n. ult.* Mediâ vero incedendum viâ putans facio p: cum Dn: Struvio, p: cum Curt. Jun. & qvidem cum hoc, si vidua est successoris in feudum mater, hæc enim respectu Prædecessoris est vidua, respectu vero filii relicti & jam possidentis dominium istius feudi directum, est mater, qvia vero Vasallus ob concubitum cum matre Domini, perdit Feudum, uti dictum, hinc dicendum, qvocunqve tempore stuprum fiat, perdi Feudum. Aliud vero dicendum, si deficiente descendente, agnatus succedat, tunc enim cum Dn. Struv. & aliis distingvo, qvod fiat aut intra luctûs tempus, aut posteà, illo modo affirmatur qvæstio, *per Nov. 39. c. 2.* hoc vero nego. *arg. l. 29. in f. ff. de lib. & posth. hered. inst l. 42. ff. de poen. c. 15. X. de R. J. in sexto* in viduâ enim impune stuprum committitur *l. 13. §. 2. ff. ad L. Jul. de adult.* benè tamen distingvendus luctus annus à reliqvo vitæ viduæ cursu, cum *Nov. 39. all.* caveat & dicat de eâ, qvæ intra undecimum mensem

G parit,

parit, eiqve pœnas imponat omnes, qvæ sunt propositæ mulieribus intra tempus luctus nubentibus, qvia verò materia hæc odiosa restringenda est. Si igitur mulier non perdit lucrum nuptiale ob stuprum post luctus tempus commissum, qvis dicet & hoc loco Vasallum privari suo feudo, ideò enim perdit mulier lucrum qvod eadem sit offensio & injuria in maritum, qvam si vivo Domino esset stuprata. Intra luctus enim tempora peccans, intelligitur in matrimonio peccâsse, & intemperantissimæ libidinis est, qvæ tam citò peccat à morte viri, & magnam facit cineribus mariti injuriam, videtur enim intra tempus luctûs nuptam esse eam, qvæ alterius nuptias adire prohibetur *Nov. 22. c. 22. pr. Scip. Gent. de secundis nupt. c. 7. Joach. à Peust. tr. de matrim. p. 2. c. 36.*

24. Nec interest, an dictæ personæ sint communia prostibula, & ex corpore qvæstum faciant, an vero non? Loqvuntur enim dd. text. generaliter, non distingventes, an sint meretrices, an vero non. Jam autem ubi lex non distingvit, nec nostrum erit distingvere *arg. l. 1. § 3. ff. de Aleat:* Vasalli enim est, afflicto huic non addere afflictionem, & licet alii injuriam afferant Domino per ipsi conjunctas personas, Vasalli tamen erit, ob beneficium suum abstinere ab hoc coitu nec excusationem meretur, qvod ideò offendit, qvia alii offenderunt. Sed *Schrob. Disp. X. th. 6.* hic obvertit textus aliqvot, qvibus ostendit, Vasallum ob talem concubitum minime caducitate Feudi privari *per l. 22 & l. 29. C. ad l. Jul. de adult:* ubi dicitur, qvod in meretrice nec stuprum nec adulterium committatur. Sed posito hoc non vero concesso; tamen cum *Dn. Rhetio ad d. § Item si quis & c. 1. F 5.* putaveram esse, Feudum exui Vasallo ob hoc, licet enim non committat adulterium vel stuprum, tamen ignominiam Domini facto suo auget, & contemtui habet juramentum illud fidelitatis *2. F 6.* ubi juravit, se non tantum velle committere qvid contra ipsius honestatem, verum etiam velle lex illa adducta à Domino avertere, qvod vero hic non observat fidelis. Datum enim Feudum, ut defendat honorem Domini, qvem etiam eo mortuo, observare est obligatus *l. 4. §. 16. ff. de dol. ex c:* &

dehone-

dehonestari est magis, qvam mori *l. 8. §. Qvod. etiam c.* præsertim cum causa liberalitatis à criminatione separata sit oportet. *per l. 10. inf. C. de Donat: inter Vir: & ux:* Vide hac de re eleganter disserentem Gregorium in Homil: Martyr: qvi, *Minorem,* inqvit, *dolorem mala inferunt, qvæ ab extraneis inferuntur, plus vero ea tormenta, qvæ ab illis patimur, de qvorum mentibus præsumebamus honesta, hic enim cum damno corporis, cruciant nos damna amissæ charitatis.* Huic accedit, qvæ nemo debeat injuriam inferre ei, qvem defendere obstrictus est *arg. C. L. 17. de Evict:* & nuptam vulgaritas non excusat. *L. 13. §. 1. ff. ad l. Jul. de adult. junct. L. 29. C. eod.* benè tamen distingvendum puto inter scientem vulgaritatem harum personarum, & ignorantem Dominum; fieri enim benè posse, ut meretricia illa vita latuerit Dominum, & hoc modo non excusatur Vasallus; si vero sciat & dissimulet, dolus cum dolo compensabitur *per l. ult. §. pen. ff. de eo, per qvē fact. er, &c. Rittershus. d. l. q. 100.*

18. Minimè vero hæc procedunt in famulâ vel Pedisseqvâ Domini, utpote inter qvam & Dominum tanta conjunctio non intercedit, ut argumentum à prædictis personis ad hanc extendere valeamus. Licet enim Vasallus obligatus sit ad ea facienda, qvæ sunt ad honestatem Domini, *2. F. 7. pr. in f.* hoc verò qvodammodo in Domini vergat præjudicium, imò injuriam videatur inferre Domino *arg. l. 15. §. 19. de Injur.* non tamen omni ex causâ, ex qvâ Domino nascitur præjudicium sive aliqvalis injuria, Vasallus venit privandus feudo, *arg. 2. F. 24. §. Porrò junct. c. odia de R. J. in 6. Schnob. d. Diss. x. th. 15.*

19 Dictum sup. qvod Vasallus exercens concubitū cum Domini uxore privetur feudo, hinc Qv. an hoc procedat, si cum cæteris allegatis personis sese exerceat? Et dicendum videtur, qvod sic (1.) qvia una determinatio respiciens plura determinabilia, debeat ea æqvaliter determinare *arg. l. 4. C. de Imp. & al. Subst.* (2.) qvia Jus Feudale dicit *2. F. 7. pr. in f.* Vasallum nunqvam ex personâ suâ facere aliqvid ad Domini & suorum injuriam &c. *Vid. Curt. Jun. p. 4. n. 25. Vult. lib. 1.*

c. 11. n. 31. Verùm magis placet in castra contrarium sentientium transire, idqve propter textûs nostri dispositionem, qvi illa verba ad uxorem tantùm refert, qvæ si ad reliqvas qvoq; voluisset relata, postposuisset, & non præposuisset.

20. Si v. Filius f. concubuisset cum tali personâ, Pater Vasallus, qvi filium, Domino reqvirente, ad eum non deduxit, vel à sese paravit, privatur feudo, *2. F. 55. ver. Insuper.* hâc enim separationis intermissione censetur amicitiam domesticam copulâsse cum inimicis Domini, *arg. d. F. 57.* Est autem in Vasalli electione, utrum filium velit deducere, an verò eum à se separare *d. t. Schepl d. tr. tit. 7. §. 15.* Idem obtinere puto in reliqvis Vasalli domesticis.

21. Colophonis loco addam & hoc: Sicuti Dominus in omnibus iis capitibus, ad qvæ Vasallus sese adstrinxit, vicem fideli suo reddere tenetur *2. F. 6. in f.* meritò dicendum, & Dominum proprietate privari feudi, si concumbat cum fidelis uxore, cæterisq; ipsi conjunctis personis, *arg. 2. F. 47. & f. 26. §. Domino.* Qvod enim statuitur de uno Relatorum, in altero qvoq; statuendum est, *Dd. ad l. fin C. de indict. Viduit. toll. Rittersh. p 2. c. 7. th 2.* Nihil autem interest, Dominus sit inferior, an verò superior, licet enim Ll hic qvandoq; sit solutus, tamen Ll. vivere ipsi competit §. *ult. Inst. qvib. mod. test. inf. l. 4. C. de Ll.* idq; ob contractum feudi ultro citroq; obligatorium *arg. text. 2. F. 87. junct. 2 F. 6. in f.*

MEMBRUM III.

Continens

Laudamentum Feudale.

1. Absolutis Cucurbitationum modis, paucis addam Processum, qvomodo, forsan commisso hoc delicto, sit procedendum in laudamento fendali. Hoc verò Judicium constituunt regulariter, ut cætera omnia, tres personæ: Judex, Actor & Reus *l. 2. de Judic. c. forus x. de V. S.* Sed cùm pro diversitate casuum & personarum diversus sit Judex, si enim inter Convasallos lis, Judex erit competens Dominus, *2. F. 55. §. Prætereà. fin.* (modò non sit Feudum regale, ubi tantùm Impera-

 tor

tot erit Judex *2. F. 34. pr.* R. A. *de anno 1521. tit.* Röm. Kön. May. §. Ob auch Sachen fürfielen. *Ord. Cam. p. 2 tit. 7. ibi* : derselben Erkäntnüß wollen wir der Kayserl. May. vorbehalten haben. *Gail. 1. Obs. 1. n. 54. Vid. Svevus Exerc. Feud. XII th 3.*) si verò inter Dominum & Vasallum, Pares Curtis, *1. F. 10. d. §. Prætereà 2. F. 55.* Si igitur Dominus nostro in casu velit suam vindicare injuriam, Judices erunt Pares Curtis; qvi si electi à partibus nolint parere electioni, possunt cogi ad id suscipiendum, partim, qvia hoc munus est publicum, *l. 9. π. de Mun. & hon.* partim, qvod Jus feudale facultatem judicandi illis deferat. *d. text. 2. F. 55.*

2. Actorem hic repræsentat Dominus, qvi ob injuriam illatam jus suum perseqvens in judicio, provocat adversarium nempe Vasallum, actionemq; adversus eum exercet, *arg. l 13. π. de Jud.* Qvia verò Dominus non tantùm perseqvi injuriam, sed etiam mediante injuriâ Feudum petere videtur, hinc meritò ipsi competit hoc in casu actio personalis, Condictio sc. causâ, datâ, causâ non secutâ. *per text. 1. F. 21. pr.* Datum enim Feudum Vasallo ideò, ut præstet ea, qvæ vi Juramenti promisit; & Dominus præsumitur ideò dare Feudum, ut ipsi fidelitatem præstet, & ista sex *in text. 2. F 6.* tradita semper in memoriâ habeat. Qvid autem magis contra honestatem Domini, qvàm hoc Vasalli delictum? Cùm igitur causa non seqvatur, ob qvam feudum datum est, meritò etiam conceditur Domino condictio. Nec facit, qvod Condictio instituatur aliàs in Jure Civ. ab eo, qvi dominium amiserat, nam hoc loco Dominus qvidem retinet proprietatem feudi, verùm cum Vasallo non nudus intelligatur concessus ususfructus, sed unà magna dominii directi portio *arg. 2. F 8 §. Rei autem.* ibi : *quasi vindicare.* Hinc dicendum, qvod repetat id, qvod concessione Feudi translatum in Vasallum; vel potest dici, odio Vasallorum hoc inductum esse (ad modum furtivæ Condictionis, de qvâ *vid. Donell. ad §. 14. Inst. de act. n. 9. p. m. 270.*) & Kreunberg *Disp. de Act. Feud th 25.*

3. Deniq; accedat Reus oportet, qvi provocatur ab actore, ut de causa hâc controversâ respondeat, qvi Vasallus delin-

delinqvens est. Uti autem aliàs varia huic competunt Exceptionum arma, qvibus ictus adversarii in ipsum paratos avertere possit 2. *F. 43 in m* Sic maximè procuret hic Actor, ne reum ad incompetens citet forum, coràm incompetente enim litigare, est litigare coram privato *l. ult. ff de Off. Praef. Urb.* item citet ad locum tutum, & intra terminum non angustum *arg. l. 1. ff. de Edend.*

4. Et hæc de personis: Jam ad ipsum Judicium paucis procedendum, cùm v. Processus hic in Jure Feud. non sit præscriptus, recurrendum ad Jus civile *2. F. 1. pr. in f.* nisi Statutū provinciale aliud svadeat. *Dn. Struv. S. J. F. c. 16. a. 10.* Actor igitur Dominus ante omnia Reum citet; sicuti enim Citatio est principium & fundamentum judicii, *§. ult. Inst. de Pœn. tē. lit.* ità & omnis actus judiciarius, etiam in rebus nonnunqvā notoriis, contra non citatum celebratus, regulariter ipso jure nullus est, *arg. l. 4. C. de sent. & interloc. Gail. 1. Obs. 48. n. 2. seq. Zang. de Except. p. 1. c. n. 5.* Offeratur autem libellus hâc Citatione oportet, ut deliberare Reus possit, cederenè, velit an v. contendere, *l. 1. ff. de Edend. c. 1. X. de Dilat.*

5. Oblatô libellô, (in qvo proponit: *Cajum Vasallum attentâsse stuprum uxoris suæ, vel concubuisse cum eadem similivè persona.*) Vasallus aut comparet, aut non; si non comparet, iterùm vocandus usq; in spatio tertio 7. vel 10. dierum arbitrio ejusdem Curiæ terminando *per text. 2. F. 22.* Si v. comparet, seqvitur litis Contestatio; hic a. Reus aut negat factum aut confitetur; Si hoc, salva res erit, si v. negat, aut res est notoria, & hæc non indiget probatione, *arg. c. manifesta. II. q. 1. Eckbold ad tit. ff. de Probat § 4.* aut incerta & occulta, *Schneb. Disp. ff. 13. th 18.* & hæc, qvia dubia, probanda. Cujus a. erit probare? dico, qvia per rerum naturam factum negantis nulla est probatio *l. 23. C. de Probat*: actorem probare teneri; ei enim incumbit probatio, qvi dicit hoc ità factum esse. *l. 2 ff. eod. Wiss. Disp. ff. 43. th 6.*

6. Cùm v. communiter omnis probatio vel fiat per argumenta, vel Instrumenta, vel per testes, *arg. l. 2. C. de test.* non puto hoc delictum per Instrumentum Seniorem probare

pcsse, forsan enim delinqvens nullum dare ob brevitatem temporis potuerit, vel si potuerit, noluerit; hinc vel per argumenta, vel per testes ad hoc productos; Non per argumenta *ob text. 2. F. 57. in f.* E. per testes probare tenetur. Reqviruntur v. hic, qvia res ardua, non, uti in jure communi, vel etiam Feudali in aliis actibus, duo, *per l. 12 π de test. junct. 1. F. 26. §. si qvis & 2. F. 2. pr.* sed qvinq; summæ atq; integræ opinionis testes, *d. text. 2. F. 57. in f.* & hoc de jure Feud. communi; aliud observari statuit; *Dn. Struv. S. J. F. c. 15. a. 15.* de Consvetudine,

7. Adductis testibus aut sunt nomero sufficientes, & omni exceptione majores, aut non: Si non sunt, qvod faciendū? Aut planè nihil probat actor, aut probat qvidem, sed semiplenè; Hoc casu puto, qvod juxtà textum J. Feud. *2. F 57.* Reus veniat absolvendus, reqvirit n. textus plenam: Nisi dicamus, Reo purgatorium moribus nostris esse deferendum. Si nihil probat, reus absolvendus *per text. 2. f. 33. §. ubi nihil.* Nec per Monomachiam rem puto decidendam, qvâ olim usi sunt Germani, præcipuè in Feudalibus, *vid. text. 2. F. 39. § Non est inf.* Hi n. qvia milites, militaribus etiam animis putârunt, ob licentiam præsertim militarem, rem feudalem esse dirimendam. Nisi hisce observatis (1.) si adsit authoritas judicialis (2.) Impossibilitas probationis. (3.) Consvetudo loci accedat; id concedatur. Kremberg. *Diss. Feud. de act. Feud. th. 69.*

8. Si igitur probatum fuerit, Feloniam commissam, accedat Judicis sententia, qvâ statuat, *Feudum esse Domino tradendum cum omnibus fructibꝰ à tempore delicti commissi perceptis sive extantibus sive consumtis.* Habetur enim hic pro m. f. possessore ex eo tempore, ex qvo scivit, Feudum non amplius ad se pertinere *arg l. 15 pr. π. Qvi & à qvib. man. lib Dn. Struv. d. c. 15. a. 11. n. 4.* Hanc tandem excipit Executio, nisi Appellatio interponatur *per text. 1. F. 22. §. fin.* Hæc de arduâ hâc materiâ dixisse pro ingenii modulo sufficiant, majora ab iis, qvi majori authoritate pollent, expectabit B L. Ea verò, qvæ jocosè dicta, occasioni per materiam datæ transcribet, in minus aptè prolatis humanæ recordabitur fragilitatis.

DEO pro hoc auxilio sit gloria in sempiterna secula!

